



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1732. usque ad annum 1734

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 90119339

§. 4. Parlamentum a Regis alloquio exclusum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67683](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67683)

id evertere Mazarinus nunquam fuisset
 ausus & Richelius nunquam voluisset, Sæc. XVIII.
A. C. 1732.
 nunc vero Fleuryus everti præciperet:
 Audaciores quoque ipsi Præsidi iusul-
 tabant, eumque, si suæ satisfacere vel-
 let conscientiæ & officio, loco abire,
 sine fronte jusserunt, palam minitan-
 tes, in Parlamenti scribam, si Regis
 mandatum ad acta referre præsumeret,
 legum severitate actum iri.

§. IV.

*Parlamentum a Regis alloquio
 exclusum*

Priusquam Parlamenti Patres, quid
 hac in re agendum, communi con-
 silio decernerent, rursus primus Præ-
 ses & cujuslibet Curix Decani die de-
 cima ejusdem Mensis comparere jube-
 bantur, quibus paucis significatum, ut
 protinus Regiis jussis parerent, nec
 minimum quid de causis Ecclesiasticis
 statuerent. Accepto hoc responso de-
 crevere Patres, conficiendam esse ora-
 tionem, in qua Præses causæ gravi-
 tatem, Regii mandati indignitatem,
 malaque inde oritura gravissimis verbis
 Regi exponeret. Suggerebat etiam
 Titonus Senator, sequendum esse hac
 in re Virodunensis Parlamenti exem-
 plum, quo in pari causa Anno 1626.

A 4

miram

Sæc. XVIII. miram animi constantiam demonstraf-
 A. C. 1732. set; agi enim de religione & Regis se-
 curitate, non ergo de inobedientia Par-
 lamentum postulari posse, si mandato,
 quo utrumque everteretur, non obtem-
 peraverit. Hæc vero Cancellarius Regi
 exponere adeo non dubitet, ut potius
 suorum Prædecessorum exempla imi-
 taretur, qui seposito Regiæ indigna-
 tionis metu in tam gravi causa suum
 officium utiliter impendissent, plerum-
 que postea ab ipsis Regibus amplo en-
 comio ob fidelitatem honorati. Hæc
 suadebat Titonus: Dupreus vero cen-
 sebat, si Rex semetipsum utilissimo ob-
 sequio, & Parlamentum præcipua sua
 prærogativa spoliare perrecturus esset,
 Regi humillime declarandum, Parla-
 mentum, cum secus in re gravissima
 suo muneri & conscientiæ deesset, a-
 liunde vero hac ratione, Regno haud
 ultra utile foret, deinceps suo officio
 fungi nec velle, nec posse. His addebant
 alii, consultissimum fore, ut omnia
 Regi exponenda chartæ mandarentur,
 Pucellio Abbati consignanda; Præsidis
 enim fidem esse suspectam: Rebus ita
 potius turbatis quam conclusis omnes
 Deputati die decima quarta Maij Com-
 pendium venere, cumque Præses suam
 orationem auspicari vellet, Rex illum
 tacere iussit, ac vultu ad gravitatem
 com-

composito dixit: *meam Vobis voluntatem significabo, vestrum erit, obedire, vestros clamores non audiam, meæ indignationis reos vos quidem fecistis, sed obtemperate, & ad vestra tribunalia revertimini.* Ad hæc, cum Portellius loqui pararet, Rex mox illum interpellans, dixit, *Tace & abi:* majore autem temeritate Abbas Pucellius Regi scriptam Præsidis orationem porrexit, quam tamen Rex illico Maurepasio Comiti tradens, indignabundus respondit: *tolle scriptum hoc & confestim in frustra dilacera.*

Sæc. XVIII.

A. C. 1732.

§. V.

Plures Parlamenti Patres graviter mulctati.

Abeuntibus hisce Deputatis Rex ad suos Proceres conversus, *Faxit*, inquebat, *ut Parlamentum obtemperet, secus me esse Regem & Dominum sentiet.* Percepto fatali hujus alloquii successu gravem sibi tempestatem impendere, ominabantur omnes: nec vanus erat eorum timor; quippe sequenti die Pucellius Abbas & superioris Curixæ Decanus in exilium ad Corbigniensem Abbatiam suam deportatus est; Titonus vero noctu militum manu stipatus primo ad Vicennensem arcem, postea Hamonam munitissimam Picardiæ Ur-